



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. Insulæ Boreales, seu Æoliæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

HERÆI Montes, aliter IVNONII *Ἰωνῶν ἑξῆς*, amcenissimi Diodoro, & in iis Nympharum Lucus: extenditur à Taurominio ad Gelæ Fl. fontes, sed nunc variis nominibus appellatur, ab oppidis ei adiacentibus: ad Chryſæ fontem; vbi editissimus: *Monte Artesino.*

MARO: hodie *Musumeni*, vel *Musumeli*, malè Merimontes in Tabulis, quem errorem Fazellus inuexit.

MONTES HYBLÆI, ad caput Fl. Allabi supra *S. Marcellino*, ab Hyblâ parua sic dicti.

NEBRODES Montes sic dicti *Ἰωνῶν νεβροῶν* ab hinnulis quibus percurruntur, aliter Neurodi: hodie *Madonia*. Eorum partes videntur Maro mons *Musumeni*, & Gemelli colles, *Monti di Melle*, & alij.

ERYX, Mons Veneri sacer, vbi delubrum totius Siciliæ nobilissimum Straboni lib. 6. ab Æneâ conditum ait Melâ, ab Eryce dictus est quem Hercules occidit. In eo templo mille & amplius meretrices Straboni. De Columbibus Erycinis lege Ælianum I. Var. cap. 15. Idem & de festo quem *ἀντιγόνη* vocat. Reparatum est hoc templum à Tiberio, vt ait Tacitus, sub Claudio id factum asserit Suetonius: hodie *Mons Trapani*, in Archiuo regionis *Mons S. Iuliani*.

§. 3. *De minoribus Insulis Siciliæ adiacentibus.*

Æ sunt vel Boreales, vel Occidentales, vel Australes: Boreales aliquando vno nomine dicuntur Æoliæ; Occidentales Ægades; Australes Melita & Gaulos.

SECT. I. *Historica descriptio minorum Insularum ad Siciliam.*

NUM. I. *Insule Boreales, seu Æolia.*

NOMEN. Dictæ sunt hæ Insulæ ab Æolo Rege qui in iis regnavit, dictus præsidere ventis quoniam eos præcinebat; fortè ex Hierâ Insulâ, vt mox in eâ dicemus.

Secundo, Nominatæ sunt *Liparcorum Insule*, seu *Liparensum* à Liparâ earum maxima.

Tertiò, *Hephestiades*, Latinis *Vulcaniæ*, & *Vulcani* ob ignes ex

plerisque earum erumpentes.

*Quarto*, denique *Plote* apud Scymnum, quòd in medio earum navigatio circumflectatur: in singulari numero tamen vna dicitur *Plota* quòd ad instar *Deli* circumageretur, vt ait *Eufstathius* in *x. Odyf.*

**NUMERVS.** In quatuor opiniones de earum numero veteres distracti sunt.

*Quinque* admittit tantum *Appianus* 5. ciuiliū.

*Septem* recipiunt *Aristoteles*, *Scymnus*, *Strabo*, *Diodorus*, *Mela*, *Plinius*, & plerique alij.

*Notem*, *Isidoro* dicuntur esse: *Seruius* locutus est inconstanter, nam modò nouem, modò septem numerauit.

*Quindecim* denique nominat *Ptolemæus*, sed accenset *Æoliis* eas, quæ verè non sunt *Æoliæ*.

**QUALITAS.** Earum solum igneum est, ideò *Solinus* putat cap. 12. eas mutuari *Æthnæ* incendia, aut subministrare, certè *Isidorus* ait eas ardere instar *Æthnæ*: notatque *Diodorus* in plerisque earum videri crateres, quibus flammæ olim euomuerunt. Celebrissimæ sunt victoriâ *Duillij* contra *Pœnos*.

**N V M. 2.** *Insule Occidentales Siciliae, siue Aegades.*

**PERPERAM** *Aegates* appellantur à quibusdam, apud *Polybium* *Ægusæ* dicuntur, ad quas victor *Lutatius Catulus* de *Pœnis*, vt ait clarè *Cornelius Nepos*, & ex *Polybij* verbis libro 1. intelligitur. Nam de pugnâ *Lutatij* agens meminit *Hieræ Insulæ*, & *Ægusæ* *Lilybæo* oppositæ. Describi quoque videntur ab *Homero* 9. *Odyf.* vt satis bene conficit *Cluuerius*, ac proinde *Polyphemi* fuere sedes hæ *Insulæ*. Denique *Seruius* ad illud 1. *Æneid.*

*Saxa vocant Itali mediis qua in fluctibus Aras*, ait *Aras* illas esse *Ægades Insulas* veriùs scopulos inter *Siciliam*, & *Africam* vbi deuicti sunt *Pœni* à *Lutatio Carulo* bello 1. *Punico*; & notat ideò dictas *Aras*, quia in his *Pœni* cum populo *Ro.* percussere fœdus, & ideò vocari à *Sisenna Popilias Aras*: Nomen autem recepisse à *Capris* innuit vna ex iis *Ægusa* dicta Latine *Caprariâ*, de quâ mox agemus.